799.

1692+1750

Eruditissimo et Celeberrimo

THEOPHILO SIGEFRIDO BAYERO

S. P. D.

Jac. Elsner.

Praes. 14. Jul. st. v. 1737

1

Recordaberis sine dubio Vir Humanissime! amicitiae veteris Regiomonti Borussorum in patria nostra contractae, quae cum morum et studiorum similitudine conciliata fuerit, dubium non est, quin etiam in illa locorum et temporis sejunctione incorrupta manserit. Mihi certe jucunda semper pristinae consuetudinis fuit recordatio, atque ex animo Tibi gratulatus sum honorificam illam in Academia Petropolitana sedem, et doctissima scripta, quibus nominis Tui famam longe lateque sparsisti, qua ratione uti pergas opto atque otium et diuturnas animi et corporis vires precor.

Meorum etiam scriptorum nonnulla ad manus Tuas pervenisse puto, quae desunt, si rescivero, lubentissime mittam. Nuperrime ad

rentis Archimandritae Constantinopolitani, Athanasii Dorostami in causa fuit, ut Librum Germanicum de recentissimo Ecclesiae Graecae statu conscriberem et plurima vel haud satis nota, aut omnino incognita producerem in lucem, qua in re summa sum modestia et candore versatus, ut Ecclesiae Graecae magis honorificam et faventiorem descriptionem nullibi inter protestantes editam esse merito me puto. Gloriosissimae Imperatrici merentes laudes tribui, Tui quoque Amice honorande honorificam mentionem injeci, constitui denique duo exemplaria munere publico Petropolin deferenda, alterum Imperatrici si videatur offeras, alterum veteris amicitiae testimonium Tibi accipias rogo. plura si desiderentur per Bibliopolam nostrum Haude aut alia si libuerit via ad vos mittentur.

Vale et me ama. Berolini d. 18 Dec. 1737.

Haec jam scripseram et currui publico destinaveram, cum virgo Gallica ad me accederet Petropolin profectura. Ei igitur et epistolam et librum commisi. De re vestra litteraria ut me erudias quaeso, quam si mea opella adjuvare et exornare possim, faciam lubentissime. Vale iterum.